

castrum Lybenthal cum agris cultis et incultis, montibus, planis, silvis, rubetis, venationibus, pascuis, pratis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, censibus, vasallis, hominibus ac cum aliis pertinentiis suis universis in quocunque consistant vel quocunque nomine censeantur, per iam dictum dominum episcopum aut successores suos et ecclesiae Mysnensis capitulum tenendum, habendum, utifruendum et etiam possidendum, ita videlicet, quod quodocunque antedicto domino Wythgoni episcopo vel successoribus suis praedictum castrum Lybenthal cum pertinentiis supra dictis vendere placuerit, tunc ius et dominium pheodi ad nos et heredes nostros libere revertatur. In cuius rei testimonium perpetuo duraturum praesentes litteras nostras dedimus appensione sigilli nostri communitas praesentibus testibus subnotatis, venerabili domino Johanne episcopo ecclesiae Olumtzensis, Rudolfo duce Saxoniae, Tzoffredo comite de Lyningen, Hincone Berca de Duba, Heynrico de Lypa, Thymone de Koldytz, Nycolao de Lucemburch nostro notario et quam pluribus aliis fide dignis. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto feria tertia post octavas epiphaniae domini.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; an Fäden von grüner Seide hängt das sehr wohl-erhaltene Reitersiegel des Königs mit Rücksiegel.

Ursinus Gesch. d. Domkirche S. 257.

No. 418. 1336. 25. Jan.

*Herzog Rudolf von Sachsen beurkundet, dass K. Johann von Böhmen für eine Schuld von 2100 Schock Prager Groschen ihm Stadt und Schloss Pirna verpfändet habe.*

Rudolfus dei gratia dux Saxoniae, Angariae, Westphaliae, comes in Bren sacrique Romani imperii archimarschalcus. Universis praesentes litteras inspecturis harum serie patefiat, quod cum magnificus et excellentissimus princeps dominus Johannes dei gratia Boemiae rex ac Lucemburgensis comes pro summa duorum milium sexagenarum grossorum Pragensium nos contingente, et centum sexagenarum eorundem grossorum strennuum virum Heynricum dictum Schenk de Schenkendorf pro parte sua similiter contingente, quas pro illustri principe domino Heynrico duce Bauariae avunculo nostro nobis tenetur debitorie, suo et heredum suorum nomine, matura deliberatione et consilio procerum et nobilium ac fidelium suorum civitatem et castrum Pynis super Albea cum universis suis pertinentiis, iuribus et appendiis in quibuscunque rebus consistant, titulo veri pignoris nobis obligaverit, prout litterarum dicti domini regis series plenius exprimit et declarat, nos pro nobis et heredibus nostris sub fidei nostrae observantia et puritate promittimus firmiter et constanter, dolo et fraude penitus exclusis, quod quodocunque praedictus dominus rex Boemiae aut heredes et successores sui nobis vel heredibus nostris summam praedictarum duorum milium centum sexagenarum grossorum Pragensium necnon trecentas sexagenas, si quas in aedificiis castri praedicti et bonis terris ad ipsum castrum comparandis impenderimus, prout hoc aliquorum fidedignorum civium Pynensium testimonio poterimus edocere, persolverit, tradiderit et in Chunigstein vel in Pynis nobis assignaverit seu praesentaverit, quod extunc statim absque cuiuslibet temporis subterfugio seu alterius impedimenti obstaculo,